

.xciii. Predicatio bona de .viii. vitiis idemque virtutibus

Precauere nos oportet semper, fratres karissimi, octo uitia principalia que assidue animas hominum iugulant, Deum offendunt, et diabolo placent atque ad infernum trahunt, nisi cito subuenerit uera poenitentia dura atque perfecta.

Spiritale siquidem est primum uitium quod est superbia de qua dicitur Initium omnis peccati superbia quae regina est omnium malorum per quam angeli ceciderunt de caelo in demones quae sepe fit ex contemptu mandatorum Dei Fit etiam quando attolitur mens de operibus bonis, dum meliorem se esse per haec aestimat aliis ex ipsa uero nascitur omnis inobedientia et presumptio et contentio et heresis et arrogantia atque alia mala sed haec omnia uera humilitas uincere potest corporale est secundum uitium quod est gula quae est intemperans cybi et potus uoluptas per quam primi parentes humani generis paradisi felicitatem perdiderunt et in hanc erumnosam uitam deiecti sunt. Ubi omnis homo per peccatum nascitur per laborem uiuit et per dolorem moritur Que tribus modis regnare uidetur in homine id est dum homo horam canonicam et statutam gulæ causa anticipare cupit aut exquisitione cybos sibi preparari iubet magis quam necessitas corporis

uel sue qualitas persone exigat uel si plus accipiat in edendo uel bibendo propter desiderium intemperantie suaue quam sue proficiat saluti De qua nascitur inepta letitia scuriletas leuitas uaniloquium inmunditia corporis instabilitas mentis ebrietas libido et alia mala que per ieunia et abstinentiam optime uincuntur tertium uitium est fornicatio que est omnis corporalis inmunditia de qua nascitur cecitas mentis inconstantia oculorum atque corporum ioca petulantia et omnis incontinentia odium mandatorum dei et neglegentia uitiae future et alia multa que tamen uincitur per caritatem et continentiam et recordationem ignis aeterni.

Quartum uitium est auaritia que est nimia cupiditas habendi uel tenendi diuitias pestis uidem inexplicabilis est Sicut hydropicus qui quanto plus bibet tanto plus illi sitis addita crescit sic et auaritia quanto magis habet tanto plus disiderat Cuius genera sunt inuidia furta latrocinia homicidia mendacia iniqua iudicia contemptus ueritatis et cetera multa quae uero uincitur per timorem dei et fraternalm caritatem et per opera misericordie

quintum uitium est ira per quam nemo potest habere maturitatem consilii sui de qua pullulat tumor mentis rixae contumeliae indignatio blasphemia sanguinis effusio homicidia cupiditas ulciscendi iniuriam quae autem uincitur per patientiam et longanimitatem et per rationem intellectualem quam deus inserit mentibus hominum

sextum uitium est accidia que deo famulantibus multum nocet quia mens otiosa per omnia discurrit hec est enim que maxime monachos excutit de cellula in saeculum et de regulari conuer-

satione eicit eos in abrupta uitiorum de qua nascitur somnolentia pigritia boni operis instabilitas loci peruagatio de loco ad locum murmuratio et inaniloquia et alia multa que tamen uincitur per studium lectionis et per assiduitatem boni operis atque per desiderium future premiorum beatitudinis septimum uitium est tristitia duo enim sunt genera eius unum salutiferum et alterum pestiferum tristitia quidem et uirtutis est quando de peccatis suis animus peccatoris contristatur alia est trititia huius seculi que moretm operatur animae in bono opere proficere non ualet sed animum perturbat et sepe in desperationem mittit et caetera ex ipsa enim nascitur malitia rancor animi pusillanimitas amaritudo in qua etiam persentis uite nulla est dilectatio quae uero uincitur letitia spirituali et spe futurorum et consolatione scripturarum octauum uitium est uana gloria dum enim homo appetit in bonis suis laudari vanum est gloriari et non deo dat honorem nec diuine imputat gratiae quicquid boni facit sed quasi ex se habeat dum homo nichil absque dei gratia habere poterit boni sicut ipsa ueritas discipulis ait sine me nihil potestis facere et apostolus inquit quid ghabes quod non accepisti quid gloriaris quasi non acceperis quapropter qui gloriatur in domino glorietur qui nihil sine donante deo boni habere poterit ex huius autem uitii radice nascitur iactantia arrogantia indignatio

discordia cupido simulatio boni operis cum de se homo uult laudari quod se agere nescit cuius morbi medicina est recordatio diuinæ bonitatis per quam omnia bona nobis conlata sunt quae habere uidemur et perpetua ipsius dei caritas

in cuius laudem omnia agere debemus quicquid in hoc seculo operamur et magis desiderare a deo laudari in die retributionis eterne quam a quolibet homine in huius transitorie uitiae conuersatione hec sunt fratres karissimi octo uitia principalia cum exercitibus suis que cotidie pugnant contra humanum genus hi sunt bellatores diaboli fortes contra homines qui deo auxiliante facile uincuntur a bellatoribus christi per uirtutes sanctas primum enim superbia uincitur per humilitatem gula per abstinentiam fornicatio per castitatem uaritia per largitatem ira per patientiam accidia per instatiam boni operis tristiti mala per letitiam spiritalem uana gloria per caritatem dei et per multas alias uirtututes quae sunt preuentia iustitia fortitudo temperantia primum igitur querendum est quid sit uirtus animi habitus nature decus uite ratio morum pietas cultus diuinitatis honor hominis ut seruitium eternae beatitudinis cuius partes sunt ut diximus puattuor principales prudentia iustitia fortitudo temperantia prudentia est rerum diuinarum humanarumque prout homini datum est scientia in qua intelligendum quid cauendum sit homini uel quid faciendum et hoc est quod in psalmo legitur diuerte a malo et fac bonum iustitia est animi nobilitas unicuique rei propriam tribuens dignitatem in hac diuinitatis cultus et humanitatis iura et iusti iudicia et aequitas totius uitiae conseruatur fortitudo est magna animi potentia et longanimitas et perseverantia in bonis operibus et uictoria uitiorum genera temperantia est totius uite modus, ne quid nimis homo uel odio habeat sed omnis uite huius uarietates considerata temperaret diligentia haec uero in fide et caritate nimis obseruantibus aeterne glorie ab ipsa ueritate id est ab iesu

Christo premia pollicentur nulla enim melior est prudentia quam ea qua deus secundum modulum humane mentis intelligitur et timetur et futurum eius creditur iudicium vel quid iustius est quam deum diligere eiusque mandata custodire per quem dum non fuerimus creati sumus et postea a seruitute diabolica liberati fuimus qui nobis omnia que habemus perdonauit et quid hac fortitudine melius est quam diabolum uincere et omnes eius sugestiones et omnia aduersa mundi pro dei nomine fortiter tolerare nobilis autem uirtus est ualde temperantia per quam omnis honor uite huius inter homines constat ut omnia in quacumque cause homo temperanter cogitet loquatur et agat cum consilio salutis suae hec enim sunt leuia et suauius deum diligenter qui ait discite a me quia mitis sum et humilis corde et inuenietis requiem animabus uestris iugum enim meum suave est et onus meum leue nonne melius est et beatius deum diligere qui est aeterna pulchritudo aeterna dulcedo aeterna suauitas eterna fragrantia eterna iocunditas perpetuus honor indeficiens felicitas quam huius seculi amare species pulchras dulces sapores sanos suaues odores fragrantes tactus iocundos et honores atque felicitates transitorias quae omnia uelut uolatilis umbra cito recedunt et transeunt et decipiunt amantem se et in eternam eum mittunt miseriam qui uero deum et dominum fideliter amat et indesinenter colit mandata perseveranter implet caelestem cum angelis dei gloriam et claritatem aeternam perpetualiter possidere dignus efficietur prestante domino nostro iesu christo cui est honor et imperium et potestas cum patre et spiritu sancto per omnia secula seculorum. amen.